

XIX.

C o m p o s i t a e.

A. Cichoreae.

94. *Rodigia commutata**

Char. gen. *Anthodium* calyculatum subimbricatum. *Rec.* paleaceum. *Pappus* stipitatus pilosus.

Locus inter Seriolam et Crepim. Illa differt pappo plumoso (exc. Seriola laevigata Vahl. Desfont.) haec receptaculo nudo.

Char. spec. R. foliis radicalibus runcinatis dentatis hispidis, caulinis sagittatis amplexicaulibus pinnatifidis, calyce hispido.

Habitat in insulis maris Ionii, unde uvae passae veniunt, e quibus Rodigiis Stolpensis largitus est.

Planta cubitalis et altior. *Caulis* ramosus, pilis sparsis rigidis obsessus. *Rami* patentes, flexuosi. *Folia* radicalia dodrantalia, runcinata, dentata, subtus inprimis et ad nervum medium hirsutiuscula: lobus extimus subtriangularis. *Folia* caulina sagittata, amplexicaulia, basi pinnatifida. *Rami* floriferi uniflori, squama una aut altera instructi. *Anthodium* imbricatum, hispidum, squamis exterioribus patulis calyculum formantibus. *Florès* lutei. *Receptaculum* paleaceum, *Pappus* radii subsessilis, disci stipitatus pilosus.

Venit nomine *Crepis raphanifoliae* Willd.

suppl. Sed haec longe diversa: 1. caule dense pubescente subglanduloso 2. floribus corymbosis 3. bracteis ventricosis scariosis latis. 4. anthodio glanduloso - pubescente, cuius squamae extimae obtusae subscariosae. 5. florum colore pallidiori. 6. defectu palearum receptaculi. Ad hanc videtur pertinere: *Hieracium chondrilloides saxatile hirsuto folio dentato Cupan. panph. sic. t. 137.* quod Smithius habet *Hieracium bracteolatum.* Ad Rodigiam commutatam vero: *Hieracium hyematale Jaseae pallido folio rugoso Cupan. panph. sic. t. 143.*, sed ambigo.

Habui olim *Crepin rhoeadisfoliam* Steven. Marsch. Bieb. fl. cauc. 2. p. 259. Sed haec differt: 1. caule profunde sulcato 2. defectu palearum receptaculi. 3. pappo sessili.

Pertinet ad hoc genus secunda species:

Rodigia laevigata, foliis radicalibus obovatis dentatis anthodioque glabris, caule nudo.

Seriola laeviuscula L. syst. veg. 721. Vahl symb. 2. p. 90. *S. laevigata* Desfont. atl. 2. p. 237. t. 216. Willd. sp. pl. 8. p. 1619.

Hab. in Barbariae arvis.

Seriola alliata Bivon. sic. pl. cent. 2. t. 7., quam Smithius huc trahit, haudquaquam huc pertinet, quippe pappo uniformi plumoso stipitato instructa. Cf. Bivon. pl. rar. manip. 4. p. 16.